



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

IV. De incestu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

suos parietes, eaque, quæ est manu regis tradita, tranquillitas, pie, inuiolateque feruentur.

## II.

Porro autem si quis Christianam fidem exuerit, adeoque dictis, aut factis cultum promouerit barbarum, capitis æstimatione, mulcta, aut ipsa legis violatæ pœna, prout ipsa feret facti ratio, culpa pensator.

## III.

Si quis sacris initiatus clepserit, dimicarit, peierarit, aut fornicatus fuerit, capitis æstimatione, mulcta, aut legis violatæ pœna, pro ipsa delicti ratione compensato: Deo saltem, prout se regulæ habuerint ecclesiasticæ, faciat satis, atque in custodiam, ni fideiussores admouerit, coniicitor. Sacerdos si in diebus festis, aut ieiuniis populo indicendis errauerit, 30. solidis, si quidem id inter Anglos euenerit, mulctator: sin idem in Dacis acciderit, sesquimarcam pendito. Sacerdos si ad dies in hoc condictos oleum non pararit sacrosanctum, aut baptisma, cum vsus fuerit, denegarit, inter Anglos mulctator, in Dacis autem legis violatæ pœnas luito, oras nimirum duodenas numerato. Si quis sacris initiatus capitale quidquam perpetrarit, capitor, vt tandem episcopo criminis admissi pœnas dependat.

## IV.

Præterea autem sapientibus visum est, vt qui fœdo se polluerint incestu, eorum qui fuerit superior rex habeat, inferiorem episcopus, ni citius cumulate Deo & hominibus compensarint, & quod fuerit eis ab episcopo indictum, confecerint. Si duo fratres germani, aliive sanguinis necessitate iuncti cum vna eademque vxore rem habuerint, capitis æstimatione, mulcta, aut legis violatæ pœna, prout æquum fuerit, ipsaque feret facti ratio, compensanto.

## V.

Si quis rei capitalis damnatus, sua ingenue sacerdoti peccata confiteri cupiuerit, id ei conceditor. Omnes autem studiose ac sedulo iura omnia diuina prouehunto, ita vt diuinam misericordiam consequantur, atque has a sapientibus irrogatas fontibus pœnas declinent.

## VI.

Dacus si decimas non dederit, legis violatæ pœnas soluito, Anglus mulctator: Dacus si debitum Romæ num-